

tamen ordo in paupertate fundatur vosque voluntarie pauperes christo pauperi deseruitis, vestris supplicacionibus inclinati ut vos seu vestrum aliique, ad exhibendum procuraciones aliquas legatis vel nunciis apostolice sedis siue ad prestandum subuencionem quamcumque vel ad contribuendum in exactacionibus vel collectis seu subsidiis aliquibus per litteras dicte sedis aut legatorum vel nunciorum ipsorum seu rectorum terrarum vel regionum quascumque impetratas vel eciam impetrandas minime teneamini nec ad id cogi possitis eciam si in huiusmodi sedis eiusdem contineatur litteris quod ad queuis exempta vel non exempta loca et monasteria se extendant; et aliqua eis cuiuscumque tenoris existat ipsius sedis indulgencia non obsistat nisi forsan, littere ipse dicte sedis de indulto huiusmodi et ordine vestro ac nomine cardinalis, cui gubernacio, protectio et correctio fratrum minorum ac eciam cura monasteriorum abbatissarum et monialium sancte clare ordinum presencium et futurorum pro tempore commisso fuerint plenam et expressam fecerint mencionem, auctoritate vobis presencium indulgemus, nos enim decreuimus irritas et inanes, interdicti suspensionis et excommunicacionis sentencias si quas in vos vel aliquam vestrum aut aliquid monasteriorum vestrorum seu quoscumque alias occasione vestri premissorum pretextu contra huiusmodi concessionis nostre tenorem per quemcumque decetero contingit promulgari, Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis et constitucionis infringere vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attemptare presumpserit indignacionem omnipotentis dej et beatorum petri et pauli apostolorum eius se nouerit incursum, Datum apud urbem ueterem quintodecimo kal. febr. pontificatus nostri anno tercio.

1734

1291 d. 1 Aug.

Rom.

Påfven NICOLAUS IV:s Bulla om aflat för dem, som vilja antaga korset, för att med Konung Edvard i England draga till Förlöfvade landet vid midsommarstiden år 1293.

A. 2. *).

NICOLAUS Episcopus seruus seruorum dei, vniuersis christi fidelibus ad quos presentes littere peruenerint, Salutem et apostolicam benedictionem. Illuminet super vos dominus uultum suum, et ita suo lumine, ad recensendum attentius, qualiter redemptor noster salutem humani generis in terra sancta dignatus est misericorditer operari, oculos in vobis hominis interioris illustret, quod accendatur ut ignis ad subueniendum terre illius necessitat-

* Ur en af Ordenspriorn i Danmark O. till Predikarebrodren Israel i Sigtuna, meddelad afskrift, dat. Lund år 1292.

bus, zelus vester, concalescant corda; inflammetur affectus, et effectum prompta operis prosequio subsequita commendet. Cuius etenim pectoris eciam lapidei quantamcumque duriciam non emolliat considerata illius humanacionis humilitas, in qua filius dei factus homo exinanuit semetipsum formam serui accipiens in similitudinem hominum factus et habitu inuentus ut homo. Cuius viscera non inflamet caritatis ardore pia concideratio illius humiliacionis extreme, in qua ipse factus obediens usque ad mortem ad exprobrancium opprobria velud agnus coram tondente se vere mitis obmutuit, et sicut ovis ad occisionem ductus, post contumelias et terrores, post spinas et sputa, post flagella varia, innocens est sine causa dampnatus, ac demum saturatus obprobriis, clavis affixus, aceto et felle potatus in crucis patibulo, tam dire mortis subiit passionem, Misterium nostre redempcionis consumans, post traditum eciam spiritum, lancee illusionem (!) confossus. Hec igitur filii et innumerabilia diuine largitatis karismata in terra predicta, ipsi humano impensa generi ab eodem redemptore piissimo, si frequenter infra claustra pectoris attenta meditacione reuolutis, si, qua decet attencione pensatis, quis vestrum non feruebit interius, foris ebulliat exclamabit et dicet Quid retribuam domino pro omnibus que retribuit mihi et non expectato monitoris vel sollicitatoris officio subiungat vltorneus. Calicem salutaris accipiam et nomen domini inuocabo. Quis sine acutissimi doloris aculeis considerare potest non solum veneranda et piissima loca illa, in quorum altero oriens ex alto pro nobis nasci dignatus humiliter, in reliquo mori crudeliter non expauit, set eciam quasi iam totam terram eandem quam ipse idem sua illustrauit corporali presencia, miraculis clarificauit immensis et tandem effusione sui preciosi sanguinis in nostre salutis precium consecrauit, occupatam, per nefandissimos saracenos, ipsorum immundicia pollui, fedissima eorum habitatione fedari. Quis absque summa amaritudine commemoret tot christiano-rum castra Ciuitates et alia loca sclempnia destructa penitus et ad nichil redacta et eorum incolas eorumdem saracenorum inmanitate perhemtos. Prodolor. Quis noui casus, quem deplorare libet potius quam narrare, solers censor et discriminum que comminari vide(n)tur discussor, attentius per noctem et diem, quasi torrentem lacrimas non deducat. Cuius oculi pupilla tacebit. Cuius pectoris penetral continebit suspiria, vel in cingultuum frequenciam non erumpat lugubri contemplacione recensens, quod quamcumque mater ecclesia casum eundem preuenire studuerit incolis illarum partium in galeis bellatorum multitudine ac subuencione pecuniaria iuxta persuasam ab eis denunciate necessitatis exigenciam et oblate super hoc petitionis instanciam, succurendo. nihilominus tamen Ciuitas acconensis sic eiusdem ecclesie studio communita quadraginta et quatuor diebus arcissima babilonice potencie obsidione circumdata, terribilibus machinis die no-

ctuque vexata, impetita diris ac crebris insultibus mensibus eciam ipsis per cuniculos arietatis occultos, quadragesimo quarto die obsidencium viribus dei permissione mirabili et stupenda, succubuit capta per eos et igni exposita, christicolis inibi existentibus cesis innumeris et ceteris, qui habere ne- quiuerunt ad maritima vasa recursum, in captiuitatem abductis, vt per iugum barbarice seruitutis horribile, dispendiis civilis mortis addicti, naturali eciam diutius moriantur, et deinde tirensis ciuitatis dedicione sequa. Quis igitur de cetero marcebit ocio. Quis ociosus non exurget. Quis ad recuperacionem terre predicte non promptus exiliet? quis tardabit? Quem non pudebit ingratitudinis argui, quin potius quasi de infidelitate notari si creatori proprio tam benefico domino ad redempcionem terre illius quam ipsi sacra scriptura testatur omnium cariorem, qua potest, promptitudine non assistat, cum eciam secundum iuris humani censuram subditos suis dominis, et ad tuenda que possident et ad recuperanda iniuste subtracta debitum fidelitatis astringat. Quis de tot fidei ortodoxe cultoribus tam immaterialiter trucidatis, de tot calamitatibus captiuorum et aliis christianitatis obprobriis, non ex tota mente mouebitur non armabitur ad vindictam? Profecto cum secundum apostolum, omnes simus vnum corpus in christo, non immerito cum illis de quibus scriptum est, Percussisti eos et non doluerunt, insensibilitatis arguitur, quisquis tantam huius nostri corporis mutilacionem, predictorum scilicet christicolarum non sentit excidium, et tam grauiter argui non ueretur. Accingimini igitur christi fideles et quia christiana religione censemini, vos christianos esse operum prosequacione monstrate, accipite deuocione qua decet, viuifice crucis signum, illud in consideracionis vestre scrutinium deducentes quod viris quantumcumque magnificis quantumcumque dignitate preditis et virtute, ad gloriam magnam ascribitur, si eis in bello quoquis dominorum insignia gerere concedatur, sub quibus contingit frequenter non sine salutis eterne discrimine mortis subire periculum sub cuiuslibet remuneracionis incerto. Quanto igitur gloriosius quanto securius regis regum in eius bello victoriosum gestare uexillum, salutiferam videlicet christi Crucem, sub qua, deuocione congrua, puro corde suscepta, conceptum prosequentibus mundicia continuata propositum mori est vite eterne inicium, transitorie vite finis, retribucionis inestimabilis certitudo. Festinate igitur festinate, ad salutis vestre properate compendium, accendantur cuiusque virilis animus, et consultius accedentes, quod si forte labor maior ex dictarum ciuitatum capcione proponitur, merces uberior subsequetur. Cum, sicut scriptum est, secundum suum laborem accipiet unusquisque mercedem, corpora vestra et corda pariter, eiusdem viuifice crucis signo in terre sepefate subsidium insignite, nunc precipue dum ipsius terre subuenio, multis abolim per sedem apostolicam exquisita vigiliis multis laboribus

et oneribus procurata, sed diuersis et aduersis euentibus diucius impedita, diuina, ut supponit deuota credulitas, prouisione dirigitur et ad expiendas terre ipsius angustias, eamque de inpiorum manibus eruendam efficaciter, sub spe diuini numinis preparatur. Siquidem karissimus in christo filius noster christianissimus princeps, Eduardus, anglie Rex illustris, post tractatus variis super generali et suo passagio in ipsius terre subsidium faciendo diuersorum Pontificum Romanorum, temporibus habitos, nouissime tanquam benedictionis filius, nostris beneplacitis acquieuit, ut post christum iuxta consilium eius eat, se ipsum abnegans ac tollens, ut eundem sequatur dominum, crucem suam, terminum, festum videlicet nativitatis beati johannis baptiste, quod erit, anno domini. M°. CC°, nonagesimo tercio, et ei ad transfretandum personaliter, necnon ad dictum generale passagium cruce signatis et cruce signandis, omnibus duximus prefigendum, humiliter acceptauit, seque ipsum exponere sui Redemptoris obsequiis, terre prefate personaliter subueniendo, disposuit, negligens natalis soli dulcedinem, pretermittens regni sui terrarumque diuicias, spernens delicias et gloriam inibi dominandi. Non igitur cunctemini amplius predicti gloriosi vexilli dominici caractere insigniri, mercantes felici commercio, perpetuam, post defunctionem corporis, exiguo, necnon perpetuitatis cooperacione vix momentaneo labore quietem, et permutacione consulta terrena pro celestibus commutantes, transitoria pro mansuris, temporalia pro eternis. Ceterum licet ad expiandos vestros animos in terre memorare succursum, sufficere debeat solers attencio premissorum, ut tamen eiusdem terre negocium eo libencius eoque feruencius prosequi studeatis, quo potiorem fructum ex vestris laboribus vos noueritis percepturos, nos de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, auctoritate confisi, et illa quam nobis, licet indignis, deus ipse ligandi et soluendi contulit potestatem, omnibus, qui vexilli dominici caractere insigniti personaliter propriis sumptibus in predicte terre subsidium proficiisci curauerint, plenam suorum peccaminum, de quibus veraci ter fuerint corde contriti et ore confessi, veniam indulgemus, et in retribucione iustorum, salutis eterne pollicemur augmentum. Eis autem, qui licet in alienis expensis, in propriis tamen illuc personis accesserint, et illis similiter, qui iuxta qualitatem, et facultatem suam personas idoneas in expensis propriis destinabunt, quamuis personaliter ipsi non uadant, plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Huiusmodi quoque remissionis et indulgencie volumus et concedimus esse participes, iuxta quantitatem subsidii et deuotionis affectum, eos, qui licet non iuxta qualitatem et facultatem suam, aliquam tamen seu aliquas personas in subsidium dicte terre in propriis sumptibus destinabunt, vel suis temporalibus bonis contribuent ad aliquas destinandum, necnon omnes, qui ad subuencionem ipsius terre eidem

aliqua de bonis propriis ministrabunt, prout singulis diuina fuerit inspiracione suggestum, aut alias ad promocionem presentis negotij consilium et auxilium inpenderint oportunum. Porro, si forte aliquos eorum qui cruce suscepta in iam dicte terre sancte subsidium, proficisciendi laborem subierint, post arreptum iter huiusmodi ex hac luce migrare contigerit, ipsos nihilominus plene percipere volumus indulgenciam prelibatam, personas quoque familias et bona eorum, quos ad transfretandum personaliter, uel iuxta qualitatem et facultatem, suam personas ydoneas destinandas votum assumpte iam crucis astringit exnunc, quos vero suscipiende crucis de cetero votum obligabit ad idem a die qua taliter crucem assumpserint, sub beati Petri et nostram protectionem suscipimus, statuentes vt sub dyocesanorum suorum defensione consistant. Quod si eos aliqui indebite molestare presumpserint, per dyocesanos locorum, in quos iidem molestatores fuerint, per censuram ecclesiasticam, appellacione postposita compescantur. Preterea, ipsis, qui predicto modo crucem, uel iam assumpserunt uel assument in posterum, indulgemus, vt per sedis apostolice litteras, vel legatorum eius, nisi forte ille que ab eadem sede optente fuerint, plenam de indulto huiusmodi fecerint mencionem, extra suas dyoceses non ualeant conueniri, dummodo parati existant coram suis ordinariis, de se querelantibus respondere. Quos per eosdem ordinarios ecclesiastica censura defendi, cessante appellacionis obstaculo, volumus ab hiis, qui eosdem contra indultum huiusmodi presumpserint temere molestare. Si qui vero ipsorum ad prestandas vsuras iuramento teneantur astriicti, creditores eorum per dyocesanos suos, censura simili compellentur, vt iuramentum huiusmodi penitus relaxantes, ab usurarum ulterius exactione desistant. Si autem aliqui creditorum eos extunc ad solucionum coegerint vsurarum, ipsis ad restitucionem ipsarum per dyocesanos eosdem, simili distinctione uolumus compelli. Judeos quoque ad remittendas ipsas vsuras, per secularem compelli precipimus potestatem, et donec eas remiserint, ab omnibus christi fidelibus, quibus hoc per suos dyocesanos denunciatum extiterit, tam in mercimoniis quam in aliis, sub excommunicacionis pena uolumus communionem omnimodam denegari. Postremo cruce signatis et cruce signandis eisdem uolentes plenius prouidere, dyocesanis ipsorum, ac non nullis aliis, absoluendi eos ab excommunicacionis sentenciis in variis casibus secundum iuris et facti exigenciam putauimus expedire, necnon dispensandi cum clericis, qui cum a canone vel ab homine latam sentenciam incurrissent irregularitatis notam, immiscendo se diuinis officiis, contraxerint, per alias nostras litteras plenam et liberam concedimus facultatem. Datum apud urbem ueterem. kal. augusti. Pontificatus nostri anno quarto.